INDEX LECTIONUM

IN

UNIVERSITATE LITTERARUM VRATISLAVIENSI

PER HIEMEM A. MDCCCLVIII.

A DIE XV. MENSIS OCTOBRIS

HABENDARUM.

Haase

PRAEMISSA SUNT INDICENDI DIEI FESTI CAUSA, QUO IENENSIS ACADEMIA QUARTUM SECULUM AUSPICATUR, EX ACADEMIARUM VIADRINAE ET IENENSIS HISTORIA MEMORABILIA QUAEDAM COLLECTA A FRID. HAASIO PROF. ELOQ.

TYPIS ACADEMICIS.

Breslau

58.

RECTOR ET SENATUS

COMMILITONIBUS S.

Prope est dies festus, commilitones, m. Aug. XV. quo Ienensis Academiae ante tria secula conditae natalicia celebraturi sumus, cuius solemnitatis laetam gratamque memoriam vobis quoque putavimus commendandam esse. Neque enim aut a pietate illa alienos vos esse convenit, qua Germanicae Academiae omnes ita sibi semper inter se coniunctae visae sunt, ut quae uni vel laeta vel tristia evenerunt, eorum sensus ad omnes pariter pertineat, aut in Ienensi potissimum Academia oblivisci unquam poteritis, quot et quanta illi beneficia omnes accepta referamus, quicunque bonarum artium in omni genere studia solida et severa laete florere cupimus. Nulla enim pars est doctrinae, nullum genus litterarum, in quo non illa Academia aliquando illustrissima ingenia vel inter docentes admirata sit vel aluerit inter discentes, nec brevi aliqua unius temporis felicitate gloria illa continetur, sed per tria secula constanter Iena optimorum studiorum beata sedes fuit, adeo ut cum tempora, ut in humanis rebus, diversa essent et nonnumquam etiam gravia et luctuosa, tamen numquam in communi hoc Academiarum omnium labore deficeret, haud raro in uno genere vel pluribus principatum obtineret, denique magnam gloriam perferret illibatam usque in hunc diem, quem nos ei convenit ex animi sententia pie gratulari, Deum O. M., qui ei hunc trium seculorum florem laetissimum praestitit, religiose laudantes, et ut eundem in futura secula benigne servet et augeat, enixe precantes. Quo in officio cum omnes nobiscum Academiae consentiant, quoniam communia sunt praeclara commoda, quae ex Academicis studiis oriuntur, non tamen alienum esse videtur, in communi gratulatione quae nostrae partes propriae sint memoria repetere; quamvis enim locorum intervallis Ienensis et nostra Academia longe disiunctae sint, factum tamen haud raro est, ut vel ex nostris oris illuc proficiscerentur Ienensis disciplinae cupidi, vel apud nos formati illuc commigrarent; atque inter ipsos etiam magistros fuerunt quos aut illi nobis aut nos illis debuimus. Quid quod inter initia nostrae Academiae Francofurtum venit Io. Blanckenfeldii

impedita est, quominus retineret illum studiosorum iuvenum concursum, quo eius initia celebrata erant,[1]) tum maxime obstabant ei feliciora Vitebergensis Academiae auspicia; accedebant postea conditae Regiomontana Ienensisque et Halensis, adeo ut cum Pomerani quoque et Megalopolitani et Holsati suas haberent Academias, raro e longinquioribus terris studiosi iuvenes Francofurtum accederent, praesertim cum post electoris Ioachimi II. tempora quae illius cura Viadrinae parata erant bona non modo non augerentur sed variis modis valde etiam deminuerentur. Quare qui professores ea fama erant, ut externos discipulos allicere possent, plerumque oblatis lautioribus conditionibus mature in alias academias traducebantur aut ab ipsis principibus Berolinum vocati aliis negotiis praeponebantur. Fuerunt tamen aliquot Ienenses professores Francofurtanae disciplinae alumni, veluti theologi duo suo tempore haud obscuri in Marchia nati *Simon Musaeus* et *Albertus Grawerus*, quorum ille etiam Vratislaviae antistitis dignitatem aliquamdiu obtinuit, totque aliis locis vel professoris vel concionatoris munere functus est, ut per totam vitam diceretur non potuisse ullo in loco amplius tribus annis perseverare, mortuus Mansfeldiae a. 1576; alter item multum iactatus cum in Germania et Hungaria variis locis consedisset, tandem Iena Vinariam traductus obiit a. 1617. Inter Ictos illustre nomen quaesivit *Chr. Wildvogelius*, qui cum Lipsiae et Francofurti studia absolvisset, postea ad nos reversus doctoris honores adeptus esset, diu gestis principum aliorumque negotiis tandem aulicae vitae pertaesus a professorio munere quod Ienae

---

habere p. 54, adn. 2; at is item Iohannem Lindholz promotorem fuisse, Huttenum promotum magistrum memoriae prodidit pag. 67; nos quidem quae Becmanus identidem commemorat vetustiora acta ord. philos. nondum indagare potuimus, neque ille ea omnia vidisse ipse videtur, quippe qui nonnumquam de iis testem interponat Balth. Caminaeum in Orat. saeculari.

[1]) Cum primo anno Wimpina rectore inscripti essent 927 vel 928, eius multitudinis magna pars mox videtur dilapsa esse; rectore altero inscripti sunt 171, tertio 94, quarto 46, quinto 73, sexto 45, sequentibusque annis raro supra centum, nisi quod uno anno 1518, Wimpina iterum rectore recepti sunt 216, scilicet quod tum, cum a. 1516 ob pestilentiam Cotbusium translata esset Academia ac paene dissipata, quasi denuo restitueretur; iterum deinde a. 1526, tertio 1536 per pestilentiam disiecta est dissensionesque toto illo tempore de rebus sacris agitatae in causa fuerunt, cur et magistri et discipuli multi discederent. Inter eos vero qui primo anno inscripti sunt, non solum studiosi numerantur sed etiam professores doctoresque, praeterea varii generis ministri et opifices, qui in academicam iurisdictionem concederent, item inter cives Francofurtenses viri docti, qui honoris causa nomina sua albo academico inscribi vellent; denique omni tempore etiam pueri multi inscribi solebant, quibus quamvis nondum ad academica studia maturis civitas tamen ante annos concedebatur vel honoris causa vel etiam quod depositionis examen subierant. Vigilantius quidem ad eum ipsum diem, quo solemniter inaugurata academia est, „*sexingentos scholasticos in ordine numeratos esse*“ tradit. Ex iis vero qui peregre advenerunt, satis constat haud paucos cito digressos esse; inter quos fuit „*Ulricus de Hutten ex Buchonia*“; ita enim nomen eius in Franconum natione inscriptum legitur; item eius praeceptor et amicus vir insignis Io. Rhagius Aesticampianus, quamquam eum Vigilantius collegam suum dicit, tamen neque munus neque honorem ullum gessisse legitur; quid quod ne nomen quidem eius in Albo reperitur; profectus enim Lipsiam est haud dubie a. 1507; nam quamquam eo anno et epigramma eius praefixum est Vigilantii Francophordianae urbis descriptioni, idib. Februariis in officina Conradi Baumgardt exaratae, et edidit ibidem Cebetis tabulam cum Ulr. Hutteni de virtute elegiaca exhortatione (vid. Strauss, U. v. Hutten I, p. 55) tamen eodem anno etiam Lipsiae edidit epigrammata et constat a. 1508 eum ibi professoris munus habuisse.

a. 1690 adiit, dimoveri se non passus est, in quo obiit a. 1728 multis editis libris clarus. Minor fama fuit *Godofr. Wildvogelii*, qui et Francofurti et Ienae iuris scientiam professus est.[1]) Sequuntur philosophi duo, *Phil. Horstius* et *Dan. Stahlius*, quorum ille a. 1610, hic a. 1620 Francofurtum venit, uterque Ienae in professorio munere diem obiit; item historicus clarissimus *Burcardus Gotth. Struvius*, qui Sam. Stryckii maxime fama allectus Viadrinam petiit a. 1691 ibique strenue in Ictorum castris versatus dissertatione edita, qua patris Icti honorem fortiter defendebat, simul et pietatis laudem meruit et magnae gloriae prima fundamenta posuit, qua deinde mirum quantum aucta et se et Academiam Salanam ornavit, in qua multis insignis et libris editis et honoribus muneribusque plurimis ornatus obiit a. 1738. Repetendus praeterea ex priore seculo vir memoria dignissimus ac plane egregius *Georgius Frantzkius*, Leobschuetziensis. Hic puer in gymnasio Bregensi rectore Schickfusio, qui postea se Ictum esse voluit, bene institutus Francofurtum studiorum causa profectus esse traditur,[2]) unde mox Regiomontium digressus ibique summa cum laude in iuris studiis versatus concessit tandem Ienam, ubi doctoris U. I. honores adeptus factusque extraordinarius professor iuvenes iuris studiosos privatim per aliquot annos summa diligentia instituit simulque in Saxoniae ducum dicasterio fuit advocatus; deinde cum et Ictorum et Philosophorum ordines frustra eum collegam ordinarium expetivissent, quippe qui non iuris modo scientia excelleret sed etiam videretur vel historiarum et poesis vel philosophiae practicae professorem implere posse, cumque a Regiomontana Academia delectus

---

[1]) Huius notitiam debeo Ioechero s. v. De reliquis vid. Vitas Proff. Ien. a Casp. Zeumero editas Ien. 1711. De Simone Musaeo cf. Ehrhardt, Presbyterologie des evangel. Schlesiens I. pag. 182—188.

[2]) Testem habeo locupletissimum Mart. Hankium in Panegyrico G. Frantzkio scripto c. 6, pag. 10 atque accuratius etiam Io. Henr. Acker, de Ge. Frantzkii vita et fatis (Lips. 1714) p. 9 testatur a. 1612 rectore Mart. Benckendorffio Frantzkium Francofurtum venisse ibique annum exegisse. At nomen Frantzkii in Albo nostro non reperio, neque illo anno neque aliis; atque quoniam unum certe nomen in Albo notatum est quod incuria Benckendorffii excidit, potest idem accidisse videri in Frantzkii nomine. Sed ego suspicor Frantzkium si quidem revera illo anno Francofurtum venit, adeo mature inde discessisse, ut nomen non inscriberetur; proximo enim rectoratu hiberno a. 1612—13 cum esset honoris causa Rector Alexander Sigismundus L. Baro a Czedlitz et Newkirch, Prorector vero Henningus Arnisaeus, Prof. Medic., alter hic in Albo sic scribit: „*Sub quorum hiberna administratione, quae a die Galli (a. 1612) excurrit in diem Georgii Anni 1613 licet frequentiam scholasticorum periculum subdole grassantis et non neminem ex coetu nostro praeripientis pestis, valde diminuisset et dissipasset, ita, ut totam fere hiemem praeter duas mensas convictorium commune non caperet, sub veris tamen clementiam, cum virus illud mitior aura discussisset, in numerum civium cooptati, in statuta Academiae iurarunt, quorum nomina sequuntur.*“ Est autem summa inscriptorum 45; multo pauciores etiam, 34, inscripti sequente totius anni rectoratu Iac. Eberti, qui ipse cum defunctus esset d. 29. Martii a. 1614, proximus Rector Mart. Benckendorffius, „*cum iam*, ut ait ipse, *pestifera lues per aestatem et autumnum hîc Francofurti regnasset*“ nomina inscripsit 92, Schosserus vero hiberno rectoratu a. 1614—15. 349. Quo rectore cum inscriptus sit Iohannes Hankius, Frantzkii aequalis et a pueritia amicus ac sodalis, quoniam is in epicedio hunc de Frantzkio versum posuit: „*Patria quem puerum mihi, Prussia iunxit ephebum,*“ verisimile est utrumque Regiomontium pestilentiae metu concessisse, praesertim cum eo invitaret Frantzkium Reimannus avunculus, eloq. prof. Regiom. atque hunc ibi cum ad iuris studia transiret, haesisse diutius, Hankium vero dissipata pestilentia redisse Francofurtum.

successor Henningi Wegneri, cuius insignem laudem discipulus maxime aequare credebatur, pervenire eo propter bellicas turbas non potuisset, primum comitibus Schwartzburgensibus a consiliis intimis fuit, deinde vero ab Ernesto Gothano principe egregio in aulam tunc recens constitutam vocatus est, ubi cancellarii et consiliarii intimi consistoriique ecclesiastici praesidis amplissimis muneribus functus et ab Imperatore Ferdinando III. nobilitatis insignibus comitisque Palatini dignitate decoratus est, vir tot tantisque animi ingeniique dotibus praeditus, ut cum et in forensibus negotiis gerendis summa ei fama parata videretur, et academicam cathedram quamlibet vel docendi dexteritate vel doctrinae copiis librorumque editorum laude ornare posset, idem tamen gravissimis publicis muneribus admotus civilem prudentiam insignem probaret et inter eos, qui tum difficillimis temporibus res Germanicas administrarunt, animi magnitudine iudiciique acumine admirabili et consiliorum vitaeque religiosa probitate non unius modo principis gratiam et amicitiam sibi firmaret sed etiam apud alios plurimos principes atque etiam apud ipsum Caesarem auctoritate floreret summa. Quid quod hanc sibi laudem paravit, qua inter Germanos nulla potest saluti publicae convenientior videri, ut, quod M. Hankius ait, *conciliare principes opus Frantzkii vulgato celsissimis in aulis proverbio censeretur.*[1]) Sed cum occupatissimam difficillimis gravissimisque negotiis vitam ageret, non tamen unquam a litterarum studiis alienus fuit; nec in iure aut civilium rerum scientia se continuit sed etiam philosophiam ac theologiam ita pernoverat, quasi in his solis habitaret; eloquentia non otiosa illa, quae in ludo exerceretur, sed mascula et forti, quae in ipsis rebus gerendis multum valeret, plane insignis erat; ac ne poeticam quidem facultatem spernebat; nam et ipse epigrammata composuit et editis Christiani Philometri nomine epigrammatis sacris, quae assidua lectione collegerat, pariter et christianam pietatem et poeticorum studiorum amorem testatum fecit, identidem eadem studia in aliis sua laude prosecutus, cum Hankios tres, Iohannem patrem et eius filios Iohannem et Martinum, item Enochium Glaeserum, alios laurea poetica decoravit.[2]) Idem vero quantum litterarum omnium amore consiliisque prudentissimis et liberalitate eximia cum universae rei scholasticae, tum academiae Ienensi et singulis saepe viris doctis aut bonae spei tironibus profuerit, multis documentis testatum est;[3]) nec vero potuit eius potentia non salutaris esse rebus academicis, qui nulla ductus privata gratia ad professorium munus non nisi homines excellentes promovendos esse profiteretur summaque diligentia provideret, ut in iuris potissimum studio quam ipse usu cognitam habebat

---

[1]) Vid. M. Hank. paneg. c. 16. pag. 28; cf. Acker l. c. p. 51 sqq. qui quamquam exempla aliquot compositarum controversiarum collegit et de legationibus gestis nonnulla narravit, tamen minime effecit, ut quantum virum Frantzkium fama ferebat, tantum eum fuisse ex ipsis rebus gestis intellegatur.

[2]) Vid. Litteras eius de laurea Martino Hankio concessa scriptas a. 1655 et praefixas huius Poematum libris VII. Francof. ad Viadr. 1695. De Glaesero vid. Adami, De eruditis Landeshutta oriundis pag. 24.

[3]) Exemplo sunt illi ipsi quos modo dixi Hankii, plurimis eius beneficiis ornati et adiuti; item Ioh. Christoph. Wexius in gymnasio Gothano per quinquennium bonis artibus institutus et deinde absolutis studiis et litterariis itineribus confectis Ienae in Ictorum ordine prof. publ. extr. constitutus, unde postea in aulam Vinariensem consiliarius traductus est; vid. Zeumeri vitae proff. class. II, pag. 172 sq. Alia exempla Bechmanni, Struvii profert Acker l. c. p. 50, alia denique eiusdem animi documenta praebet testamentum eius, de quo vid. Acker l. c. p. 68 sqq.

professorum perversa saepe et inutilis docendi ratio vel privatis consiliis vel principali cura emendaretur.[1])

Sed Frantzkii virtus praeclara[2]) admonet nos, ut ex reliquis Silesiis eos commemoremus, qui vel Ienae inclaruerunt vel illic formati patriam ornaverunt, vel alibi orti Salanae Academiae terraeque Silesiae quodammodo communes fuerunt.

Atque inter Silesios quidem eminet ante omnes *Nicolaus Reusnerus* Leorinus, qui natus a. 1545, puer atque adulescens apud Aurimontanos in schola Trocendorfii nomine celebrata ac deinde apud Vratislavienses in gymnasio Elisabethano formatus, Vitebergae ac Lipsiae academica studia absolvit, postea cum Lauingae scholastico munere undecim annos functus esset, Basileae doctor I. U. factus, Argentorati professor fuit, donec a. 1589 vocatus Ienam venit, ubi non solum professoris munera summa cum laude administravit sed etiam in civilibus negotiis versatus est et legationes obiit, libros vero edidit permultos non solum ad iuris scientiam sed ad omnes fere doctrinae partes pertinentes utilissimos itemque orationes et varii generis poemata plurima; itaque cum singulare Academiae ornamentum esset, magno omnium luctu immatura morte obiit, cum iterum Rector esset, a. 1602.[3]) Minus clarus fuit nec tamen laude sua caruit minor eius frater *Elias Reusnerus*, qui natus a. 1555, anno ante fratris mortem Ienae litteras graecas, poesin, historias, politicen docere coepit, et cum eandem atque frater vitae mensuram implevisset, mortuus est a. 1612 ipse quoque varii generis scriptis illustratus.[4]) Minus etiam aevi spatium aliis duobus Silesiis contigit, qui item Iuris professores Ienae fuerunt, alter Cervimontanus *Valentinus Riemerus*, natus a. 1582, mortuus a. 1635, antequam in Ictorum ordinem cooptaretur, poesis et historiarum professor, alter Vratislaviensis *Godofr. Fibigius*, natus a. 1612, mortuus a. 1646.[5])

---

[1]) De his rebus ipse Frantzkius testis est in praefatione Commentarii in IV. libros Institutionum Iuris Civ. Iustiniani Imp., quem commentarium cum olim in usum discipulorum ipsius fidei creditorum Ienae scripsisset, post 39 annos emendatum et auctum edidit Argentorati 1658, mortuus a. 1659. Quam iusta eius de Ictorum tarditate et nimia verbositate querela fuerit, docent exempla, quae profert Eichstadius in Oratione, qua pristina institutio et disciplina Acad. Ien. cum recentiore comparatur, Ien. 1840, pag. 11 sq.

[2]) Addo ex M. Hankii panegyrico Frantzkio dicto clausulam talem, qualis ipsius manu emendata et aucta legitur in exemplo eo, quod servatur in bibl. Rehdig. in quo eius Orationes parentales, nuptiales, alias, Lipsiae 1673 editas secundis curis ad novam editionem paravit: „*Multa, non audita, sed cognita praedicavimus: et in his etiam, cum domesticae, tum publicae Causae, nos iusserunt esse parciores. Caeteris Te Laudibus intra Conscientiam veneramur. Tam bene tuis Officiis defunctus, debuisti semel, ne posses unquam postea mori: citius ut in Coelis esses, non diutius in terris superesse debuisti. Satis enim habemus, his Te superesse, quod admiretur, quod commendet, omnis Posteritas, praeclarum Boni ICti, Boni Consiliarii, Optimique Viri Exemplum: cuius Imitator perfectissimus in Tuam Suamque Laudem audiat GEORGIUS FRANTZKIUS.*

[3]) Vid. Zeumer. vitae proff. class. II, pag. 61—71. Cf. I. Casp. Eberti Leorinum eruditum (Wratisl. 1714), pag. 49—53.

[4]) Vid. Zeumer. l. c. IIII, pag. 53—56. Eberti l. c. pag. 42 sqq.

[5]) De utroque vid. Zeumer. l. c. II, p. 102 sqq. et p. 126 sqq. utriusque vitam etiam Mart. Hankius orationibus celebrare discipulos iussit a. 1656; vid. eius oratt. parent. nupt. p. 211 et 212; item Nic. Reusneri p. 209 et Eliae Reusneri inter medicos p. 221.

Vix est quod *Ioh. Christefridum Sagittarium* commemoremus, qui quamquam Vratislaviae natus est a. 1617, tamen mox parentibus orbatus iam puer inde discessit et Numburgi ac Lunaeburgi educatus, deinde Ienae studiis academicis absolutis post alia munera gesta per quinque annos Ienae fuit historiarum et poesis professor, anno autem 1651 Orlamundam, 1656 Altenburgum traductus summis ibi muneribus ecclesiasticis fungens mortuus est a. 1689.[1]) Neque omnes nunc Silesios nobis in promptu est enumerare qui Ienae professores fuerint; succurrit tamen *Car. Frid. Kaltschmiedius*, Vratislaviae natus a. 1706, qui Ienae obiit a. 1769 medicus insignis[2]); item *Chr. Godofr. Gruner* Saganensis medicus ac botanicus clarissimus et doctissimus, natus a. 1744, qui cum vix per tres annos Vratislaviae medicus fuisset simulque et artis peritiam usu comprobasset et raram vetustorum medicorum maximeque Hippocraticorum librorum cognitionem scriptis testatus esset, a. 1773 Ienam arcessitus est, ubi obiit a. 1815.[3]) Denique nuperrime *Mauritio Schmidt Suidnicensi* apud nos in scholasticis muneribus Suidnicii et Olsnae versato academica cathedra, ad quam eum praeclara studia egregiis libris comprobata tantum non manu ducere videbantur, cum in patria non reperiretur, Ienae oblata est.

Contra nos sicut Francofurtum olim Iena abduximus *Dariesium*, insignem philosophum, ita Vratislaviam arcessivimus nuper defunctum *Io. Chr. Guilielmum Augusti*, theologum clarissimum; superesse autem adhuc gaudemus *Georg. Henr. Bernsteinium*, virum summe reverendum, quem iam puerum alma mater Salana benigno sinu excepit; postea eadem praeclaram ei et discendi et docendi copiam praebuit; atque nuper admodum contigit, ut nobis viros clarissimos *Henr. Rückertum* et *Armin. Schulzium* Iena huc traductos gratularemur.

Sed in Silesia ac maxime Vratislaviae iam multo antequam Viadrina nostra huc translata est, Ienensis Academiae nomen celeberrimum fuit, magnusque omni tempore fuit clarorum virorum numerus in Silesia, qui illius beneficiis usi sunt; recens adhuc est memoria eorum qui ipsius Viadrinae nostrae illustria ornamenta fuerunt, *Io. Frid. Lud. Wachleri* et *Chr. Godofredi Nees ab Esenbeck*, quorum post mortem alter Ienae habuit laudatorem[4]), alter successorem, Academiae Caes. Leop.-Carol. Nat. Curios. nunc praesidem; multi

---

[1]) Vid. Zeumer l. c. IIII, pag. 93 sqq.

[2]) Vid. Ioecher. lexic. contin. s. v.

[3]) Nuper admodum cum Henschelii bibliothecam inferrem bibliothecae Studiosorum academicae, in manus meas incidit Gruneri quaedam dissertatio Ienae edita a. 1794, qua ipse tum ord. med. prodecanus *solemnia inauguralia nobilissimi medicinae utriusque candidati Chr. Gottl. Gumpert indicit. Inest Catalogus bibliothecae graecae ineditus.* Eundem catalogum ego ex eodem quo Gruner usus est codice Rehdigerano edidi integrum in Serapeo a. 1851, Nr. 9—18; ille eius specimen dedit exiguum pag. 7—16, quod ego tum sine damno ignoravi; auctorem vero catalogi opinatur fuisse unum ex profugis, qui capta Constantinopoli perfugium in Italia quaererent et librorum apportatorum catalogum vel sibi vel aliis scriberent. Quae coniectura aliorum falsis coniecturis addenda est, postquam ego docui esse eum bibliothecae Vaticanae catalogum. Ceterum de Grunero iam olim dixit Car. Conr. Streit, Alphab. Verzeichniss aller im J. 1774 in Schlesien lebender Schriftsteller (Vratisl. 1776), pag. 158 sqq.

[4]) Eichstadium dico in ind. schol. hib. Ien. a. 1838.

praeterea adhuc meminerunt senem venerabilem *Valerium Guil. Neubeck*, medicum pariter et poetam suo aevo insignem[1]). Facile est multos alios commemorare[2]); sed illud videtur inprimis memoria dignum, quod Vratislaviae inde ab a. 1610 per totum seculum usque ad a. 1709, et rursus ab a. 1751 usque ad a. 1784 nemo fuit gymnasii Elisabethani rector scholarumque urbicarum inspector, qui non Ienensem academiam adisset; sunt autem hi: *Petrus Kirstenius*, Vratislaviae natus a. 1577, multiplicis doctrinae fama clarus, qui cum a. 1610 gymn. Elis. rector factus esset, postea medicinae professor Upsaliam vocatus est ibique obiit a. 1640. In rectoratu eum secutus est *Thomas Sagittarius*, Stendaliensis, natus ipse quoque a. 1577, qui Ienae et studia academica absolvit et magister factus inde ab a. 1602 fuit primo linguae graecae, deinde logicae ac metaphysicae professor; a. 1616 Vratislaviam vocatus rector fuit usque ad a. 1621, quo mortuus est, pater Ioh. Christefridi Sagittarii, cuius supra mentionem fecimus. Post eum *Mich. Pollius* item eodem anno 1577 natus Vratislaviae, cum Ienae et theol. et philos. et medicinae operam dedisset post alia munera gesta factus est rector a. 1621, obiit a. 1631. Hunc excepit *Elias Maior* Vratislaviensis, natus a. 1588, qui magistralem dignitatem Ienae adeptus, rector fuit ab a. 1631 usque ad mortis annum 1669. Successit *Elias Thomae*, natus Lincii in Austria a. 1629, hic quoque Ienae magistri dignitatem meritus, cum ab a. 1651 Presburgi rector fuisset pulsus inde idem munus Vratislaviae gessit ab a. 1669 usque ad a. 1687. Claudit continuum hunc unius seculi ordinem omnium clarissimus *Mart. Hankius*, qui Bornae prope Vratislaviam natus a. 1633, cum Ienae absolutis studiis magister creatus privatim docere coepisset atque biennium Gothae egisset ethicae, physicae, politicae in gymnasio professor, a. 1661 Vratislaviam revocatus paulatim ad rectoris munus ascendit, quod post Thomae mortem a. 1688 suscepit et gessit usque ad suam mortem, quae consecuta est a. 1709. Duo post Hankium rectores fuerunt Krantzius et Stieffius, qui in Ienensi academia non versati sunt; sed eos rursus tres eius alumni sequuntur *Theophilus Guil. Keller* natus Vratislaviae a. 1688; is cum Magdalenaei gymnasii ab a. 1734 rector fuisset, Elisabethani rector factus est post Stieffii mortem a. 1751; hunc a. 1757 mortuum secutus est *Chr. Theoph. Habicht*, natus Vratislaviae a. 1709, mortuus a. 1761, quo anno successit ei *Ioh. Casp. Arletius*, magni nominis vir, natus Vratislaviae a. 1707, mortuus a. 1784. Possum praeterea ex iis

---

[1]) Is Ienae doctoris med. honores adeptus d. 4. m. Oct. 1788 ab eadem Academia quinquagenarius doctor consalutatus multorumque aliorum gratulationibus et piis votis ornatus est, inter quos eius gener, C. F. A. Stinner, nunc Oppoliensis gymnasii rector praeclare meritus, edidit tum *cum carmine gratulatorio Claudii Claudiani idyllium, quod Aponus inscribitur notis illustratum et in sermonem Germanicum conversum.* Vratisl. 4. simul et suam pietatem et soceri elegantem liberalemque doctrinam probans, quae non unius artis finibus coerceretur.

[2]) In Streitii libro satis neglegenter confecto, quem supra indicavi adn. 3, p. 10 reperiuntur scriptores Silesiaci, qui Ienae litteris operam dederint, hi quattuordecim: Adami, Belach, Bockshammer, Düring, a Dresky, Ehrhardt, Gebauer, Klose, Loewe, Napierski, M. H. Schäffer, Schepler, Sutorius, Ulber. Inter hos qui primo loco positus est Ern. Dan. Adamius in libro germanice scripto De eruditis Landeshutta oriundis (Bresslau u. Lpz. 1753) commemorat Ulberos duos fratres (p. 53—72), Ern. Theoph. Iustum (p. 73), Siegm. Thielium (p. 82), Chr. G. Hoppium (p. 92), Ioh. Balth. Schröterum (p. 108), Ioh. Godof. Thielischium (p. 206), Ioh. Chr. Foersterum (p. 219).

qui vel Vratislaviae vel in reliqua Silesia scholastica ecclesiasticave aut alia munera gesserunt, plures addere laudatosque viros, ex quorum laude magna pars Ienensi est disciplinae tribuenda; quorum numerus si diversis temporibus maior minorve fuit, causa eius diversitatis cum in aliis rebus multis, tum maxime in theologicis controversiis posita est, de qua re non nostrum est quaerere accuratius; sed quoniam nuper nobis contigit ut in manus nostras perveniret Martini Hankii vitae diarium ipsius manu scriptum, quod adhuc latuisse videtur, faciendum putavimus, ut libri eius notitiam cum iis communicaremus, qui dedita opera in rerum Vratislaviensium memoria maximeque in scholarum historia elaborant, praesertim cum haud exigua libri pars in rebus Ienensibus versetur. Confecit autem Hankius diarium duobus voluminibus partim latine partim germanice scriptum neque tamen deduxit usque ad mortis tempus, sed priore volumine ab ipsis natalibus ad rectoratus sui initia continuato in altero volumine medio ubi prope ad exitum anni 1691 pervenit, subito desinit, neque apparet causa mutati consilii. Sequitur deinde post unam paginam vacuam „*Diarium quorundam memorabilium F. G. H.*“ Id sub finem anni 1744 scribere coepit Frid. Godofr. Hankius, Godofredi filius, Martini nepos; sed is postquam enarravit alteras matris suae nuptias cum I. F. Burgio insigni theologo factas rebus paucis aliis commemoratis iam mense Martio a. 1745 in media pagina tertia incepto destitit.[1])

Quae autem Martinus Hankius scripsit, ab ipso die natali exorsus et deinde dierum mensiumque ordinem secutus, ea in hanc formam componi coepta suspicor circa a. 1688, ita ut totum volumen prius partim ex memoria partim ex aliis commentariis concinnaret, alterum autem volumen particulatim perscriberet non ita, ut quovis die quae memoratu digna viderentur adnotaret, sed ita ut per intervalla vel hebdomadis vel mensis, vel ut quoque tempore commodum erat, diarium continuaret; saepe enim in iis quae scripsit gnarum se eorum ostendit, quae postea facta sunt; veluti cum a. 1689 d. 21. m. Aprilis se scribit ultimum cum Ioh. Acolutho scholarum Inspectore colloquium habuisse, cuius mortem deinde d. 3. m. Maii nunciatam esse narrat. Itaque accidit, ut cum pleraque omnia sint aequaliter et diligenter perscripta, aliquotiens tamen quae oblitus erat postea minutioribus usus litteris interponeret. Manus autem et scribendi consuetudo in priori volumine eadem est atque in altero; veluti quod statim ab initio vol. I. constanter nomina substantiva maiore littera initiali ornantur, factum est illius temporis more haud raro, quem Hankius post a. 1673 sequi coepit; quas enim eo anno ediderat orationes (vid. adn. 2, p. 9) in iis cum nondum more illo usus esset, magna sedulitate tum initiales litteras correxit, cum novam editionem parare instituit. Fuit autem omnino etiam in parvis rebus diligentissimus, atque facile credas diarium eum hac mente scripsisse, ut non suum modo usum sed aliena iudicia spectaret; itaque propria hominum nomina non facile ponit sine uno pluribusve praenominibus, quae ubi ignorat, spacium vacuum relinquit; item honorum titulos adiungit, in qua re eius est tam operosa religio, ut easdem ambages saepe repetere non fastidiat. Praeterea nulli eiusmodi loci reperiuntur, quos sibi

---

[1]) Servatur diarium in bibliotheca Rehdigerana cum aliis M. Hankii reliquiis, quas nondum vidi.

soli scripsisse putandus sit; non secum exigit, non occultos animi affectus in iudicium vocat, nulla peccata confitetur, nulla de suorum morum emendatione consilia capit; nec credibile est eum virum qui non modo paganorum philosophorum exempla nosset[1]), sed etiam christianae fidei praecepta religiosissime observaret, non egisse secretam illam animi sui vel actorum dierum censuram, praesertim cum preces se ad deum fecisse haud raro narret, nonnumquam etiam ipsas preces inserat, quas germanicis versibus componere solet, quotiens pro salute infantium modo natorum et in sacrorum communionem receptorum dei gratiam implorat[2]). Sed nimirum quae secum ipso secreto egit, ea non putavit ponenda esse in diario, quod quamquam non studiose elaborabat, tamen lectores habiturum putabat. Quare mirum non est, quod non in animi secreta descendit, sed plerumque in iis rebus narrandis continetur, quas agere adstantibus arbitris aut actas memoriae prodere non dedeceret. Quid quod in his quoque reperiuntur nonnulla, quae aut silentio sciens occultavit aut obscure admodum indicavit, cuius rei varias causas habuit, sicuti in paneg. Frantzk. pag. 58 habuisse se ait, cur parcior esset in praedicandis Frantzkii rebus, quas cognitas, non auditas referre posset, causas et domesticas et publicas; atque in publicis maxime rebus summam eius fuisse cautionem, summam verecundiam ac meticulosam quandam reverentiam, testatur in eadem oratione saepius[3]). Itaque in diario quotiens incidit publicorum negotiorum mentio, quae non ad ipsius munus proprie pertinent, paene indigneris nimiam taciturnitatem aut doleas certe ea non doceri, quorum ille aut unus aut bonus testis fuit; cuius rei nullum illustrius exemplum est, quam iter Vindobonense, de quo ea omnia accurate enarrat, quae omissa aequo animo ferre poteramus; quae vero ante omnia scire velis, quod eius itineris consilium fuerit, item qualia illa fuerint, quae secretis saepe colloquiis egit cum viris clarissimis, maxime cum Io. Alb. Portnero, consiliario Caesareo, cum Ioh. Hartwigio comite Nostitio, supremo regni Bohemici cancellario, denique cum ipso Imperatore, ea vero omnia tacet summa constantia, nisi quod uno loco ad d. 11. m. Maii a. 1679 scribit sic: *Post Prandium, dimissis Conviris*

---

[1]) Vid. quae Senec. dial. V. (de ira III.) cap. 36 de Sextio et de se testatur.

[2]) Versus hi sunt de primo filio Iohanne ad d. 20 m. Sept. a. 1663.

Gott laße Dich, mein Sohn, gerecht und seelig werden:
So hast Du großes Glück im Himmel und auf Erden.

de filia Theodora ad d. 17. m. Febr. a. 1666:

Der Höchste wolle Dir, ô liebe Tochter, geben,
Daß Du mögst hier gerecht, dort ewig seelig leben.

de filia Regina ad d. 11. m. Iun. a. 1668:

Damit Du herrschest dort, regiere Dich auf Erden
Dein Seelen-Bräutigam, alß seine treue Braut.
Dein König, dem Du bist im Tauff-Bund anvertraut,
Laß' eine Königin auß Dir im Himmel werden.

de filio Godofredo ad d. 20. m. April a. 1673:

Mein Gottfried, den ich Gott' im Tauf-Bund übergeben,
Dich heist Dein Nahme stets mit Gott' im Friede leben.

[3]) Vid. cap. 14, pag. 22 extr. cap. 16 extr. pag. 28.

caeteris, [*I. H. C. N. i. e. Ioh. Hartw. comes Nostitius*] *in secretiore Loco cum I. A. P. de M. H. Rebus feliciter tractandis Consilium inibat: quod exsecuturi discedebamus. Postea* [*NB.*] *I. A. P. solus mihi detegebat: M^o. H^o. non nisi R^m. L^m. obstare, Viennensem B^{ae}. C^{ae}. Praefecturam consecuturo.* Haec vero, praesertim cum paulo ante Nostitius ei seorsim significaverit, se parum favere Petro Lambecio, qui tum erat bibliothecae Caes. praefectus eumque aulae minus gratum esse, facile est interpretari; I. A. P. est Portnerus, M. H. ipse Hankius, cui ille dixit *religionem Lutheranam* obstare, Viennensem *Bibliothecae Caesareae* praefecturam consecuturo.[1]) Paulo post ad d. 21 eiusd. m. narrat se iterum eiusdem Portneri in eius horto ab hora XI. ad IV. convivam fuisse et longo de rebus suis colloquio defunctum, *praesertim tribus, C^a. M^a.: C^{is}. L^{is}.: C^{is}. H^{us}.: iisque, vel C^i. vel H^i. vel P^i. C^{is}. ex facili consequendis.* In his quid prima res sit, incertum mihi est; deinde actum de *Caesareis litteris*, quibus eum Caesar senatui Vratislaviensi commendaturus erat; denique de *Caesareis honoribus, iisque vel Consiliarii vel Historici vel Philosophi* (?) *Caesaris;* ut appareat, cum diebus duobus ante cum ipso imperatore secretum colloquium habuisset, non iam quaesitum esse de bibliothecae Caesareae praefectura nec omnino de retinendo Hankio et munere Vindobonensi, sed de reliquis Caesarei favoris documentis, quae paulo post rediens Vratislaviam Hankius re vera consecutus est. Quare cum suas res tam parce tamque obscure memoret, multo minus eum de civilibus Silesiorum et Vratislaviensium rebus, de quibus saepe tum colloquia habuit, verbosum fuisse consentaneum est. Nec minus tegit iudicia de hominibus nisi forte ubi aut pietas aut muneris necessitas eum cogit sententiam aperire. Denique in privatis etiam rebus multa, quae scivisse eum certum est, aut tacet aut obscurius indicat; tale est quod de matrimonio suo scribit ad d. 2. m. Mart. a. 1688. „*M. H. U. Natali suo R. S. V. V. destinabat M. H. U^m.* i. e.: *M. Hankii uxor natali suo Reginam Schöpsiam viduam Volgnadianam destinabat M. Hankio uxorem.* Nam et ad d. 7. eiusdem mensis de eadem re sic scribit: *Horis pomeridianis M. H. et M. H. U. Colloquium: quô illi haec iterum destinabat in M. R. S. V. V.* i. e. *M. Hankii et M. Hankii uxoris colloquium: quo illi haec iterum destinabat in matrimonium Reginam Schöpsiam viduam Volgnadianam.* Nomen hoc cum alibi haud raro totum perscribat, ubi se aut solum aut cum uxore feminae eius convivam fuisse narrat, dubitare de interpretatione non licet. Denique illud addo, in rebus levibus et iocosis saepe eum ita brevem et obscurum esse, ut quid intellexerit nullo modo divinare queas; solet enim una voce in parenthesi adiecta rem totam magis sibi in memoriam revocare quam aliis indicare; neque vero a iocis et hilariore confabulatione eum plane abhorruisse quidam loci documento sunt,

---

[1]) Confirmat interpretationem Ehrhardt, Presbyterol. I, pag. 100 quem apparet diario non usum esse; is enim sic ait: Er konnte, wenn er wollte, anstatt Petr. Lambecii Kayserl. Bibliothecarius werden, wenn er, wie jener, die kathol. Religion angenommen hätte. Er widerstund aber dieser Versuchung glücklich, und war zufrieden, daß er vom Kayser mit einer goldnen Gnaden-Kette beschenckt wurde, und daß Leopold an Magistrat zu Breslau ein Schreiben, zu Verbesserung seiner Umstände, hatte ergehen lassen. Plura adeptum esse Hankium, in diario ipse satis docet quamquam has quoque res magis obscure significans quam aperte enarrans.

ubi verbis apertioribus utitur.[1]) Ceterum in nullo rerum genere diligentior est quam in muneris negotiis, quae plerumque accurate admodum enarrat, maxime si quid publice et cum cerimoniis actum est, qua in re non solet omittere quem ipse in quaque re locum tenuerit, et quomodo auctoritas muneris personarumque dignitas custodita sit. Praeterea de rebus privatis illa sunt frequentissime adnotata, quod conviviis invitatus interfuit, quod in notitiam multorum insignium virorum Vratislaviam advenientium pervenit, quod res novas ac mirabiles vidit aut audivit, denique quod morbis variis laboravit et quod somnia aut ipse habuit mira, aut ab aliis cognovit, in quo genere nonnumquam admodum prolixa oratione utitur, superstitiosus etiam in hoc, quod ex dierum natura ac nomine omina capere solet.

Haec interim de Hankii diario dicta sunto, ut, quid ex eo cognosci aut possit aut non possit aestimare liceat; ipsam eius vitam alio tempore pluribus persequemur; nunc ut redeat oratio, unde profecta est, illud unum commemorare convenit, non multum abfuisse quin Hankius Ienae sedem figeret. Nam frater quoque eius maior natu Iohannes, qui ante eum et magistri nomen ibi et deinde adiuncti philosophorum ordinis dignitatem adeptus erat, haud dubie professoris locum expectabat, cum a. 1659 d. 31. m. Mai. Superintendens in Baronatu Schoenburgico Waldenburgicus vocatus et d. 2. m. Iun. Ienae a Chr. Chemnitio sacris publice ordinatus est, in quo munere consenuit, traducto in eundem baronatum Waldenburgicum fratre minore consanguineo Christiano Hankio, qui ibi theologus paganus factus est; Martinus vero Hankius cum studiorum causa Ienam venisset a. 1652 d. 18. m. Octobr. iam anno 1654 ibi paene in omnibus disciplinis philosophicis varia collegia privata habuit maxime disputatoria; deinde a. 1655 a mense Maio usque ad Decembrem Scherbedae prope Gotham versatus, ubi Gedeonis Wangenheimii studiis praefuit, mox una cum discipulo Ienam regressus a. 1656 d. 9. m. Mart. factus est magister rursusque et collegia et plurima disputatoria habuit, veluti eodem anno d. 26. m. Dec. publice opponentis officio defunctus est in disputatione philologica de arca foederis, praeside Io. Frischmuthio, respondente *Ioanne Benedicto Carpzovio*, quo convictore usus erat; itaque cum succedente tempore magna sedulitate laudem insignem meruisset et iam speraret fore ut Adiuncturam collegii philosophici, quae post fratris discessum adhuc vacabat, adipisceretur, a. 1659 d. 27. m. Ian. biduo post Frantzkii mortem Gotham vocatus est ibique physicae, ethicae, politicae et historiae professor creatus in auditorio

---

[1]) Exempla utriusque generis paucissima sunt in priore volumine, plura in altero; veluti a. 1688 ad d. 5. m. Sept., ubi narravit se Mersinum profectum feliciter nuptias conciliasse inter Sam. Rothii filiam natu maximam et Ioh. Christoph. Gleissenbergium, haec de se ipso addit: „*Inde Prandium tantô hilarior, et Coenam in Horto maximè hilaris capiebat: ad quam Andreas Titius aderat.* [*NB.* Das Hasen-Beinchen.]“ Item a. 1691 ad d. 9. Aug. ubi hospitem se ab hora IV. et convictorem ad coenam fuisse memorat Ioh. Sigism. Haunoldi, praesentibus Wolfsburgio et Christiano Gryphio iocos sic adscribit: „[***NB. I. S. H** et **M. H.** ad **W.** et **C. G.***: Wir alten Staare wollen unß nur zusammen halten: welche die jungen gerne wolten von der Stange stoßen.] *Demum Hora X. reversus: Tresque Cerevisias, et tria Vina bibit.*“ Eodem anno ad d. 9. m. Oct. inter examen Elisabetanum, cui praesidebat cum F. Viccio et M. Hankio Ioh. Chr. Hofmanswaldius scholarcha, subicit haec: „[***M. H.** ad **I. C. H.** Iocus: Homo omnium Horarum:* Der Wächter auf dem Thurm.]“

peculiari, quod Ernestus dux selectis e gymnasio discipulis instituerat, mense Martio munus auspicatus est; quo per biennium functus a. 1661 Vratislaviam a senatu vocatus rediit, ut in gymnasio Elisabetano historias, ethicam et politicam publice et ex officio doceret, theologica et alia collegia suo arbitratu haberet. Apud Ienenses vero quanta Hankii laus ac fama fuerit, ex hoc perspici potest, quod a. 1674 collegium philosophicum eum Saxonicis ducibus commendavit, cum Io. Andr. Bosii, professoris historiarum, qui eo anno d. 9. m. Maii mortuus erat, quaereretur successor; quae res quoniam erat insigniter honorifica et propter collegii philosophici iudicium et propter eius viri famam, in cuius locum Hankius legebatur, mirum non est, quod intra paucos dies litteras non modo a Io. Frischmuthio decano sed etiam a Casp. Questelio, Ioach. Gesenio, Io. Chr. Hundeshagenio de eadem re scriptas accepit; nec defuisse ei Ernesti ducis gratiam satis intellegitur ex epistola, qua ei Hankius cal. Novembr. eiusdem anni de Romanarum rerum scriptoribus librum secundum dedicavit, qui a. 1675 Lipsiae editus est;[1]) neque tamen electio illa eventum habuit, de qua nihil ex diario cognoscitur nisi Hankium initio dubium fuisse eaque mente respondisse Frischmuthio d. 16. m. Iun. a. 1674 et d. 24. eiusd. m. responsum eum a senatu Vratislaviensi accepisse honorificum speique plenissimum; deinde spatio vacuo relicto nihil praeterea de hac re notavit; manifestum tamen est eam tum fuisse Hankii famam, ut quem Ienenses studiose peterent, eum non minus studiose sed felicius Vratislavienses servarent; ac fortasse dubitavit utro loco largior sibi bene merendi facultas praestaretur; fortasse etiam cum deinde Graphinti et alii multa acerbitate vitam eius onerarent, non sine poenitentia beatam illam vallem Salanam suavitatis optimarumque artium plenam cogitavit; sed eius iucundissimam certe memoriam et gratiam honoris sibi habiti aeternam in Hankii animo mansisse cum per se consentaneum est, tum documentis comprobatur;[2]) eiusdemque animi inter nos quoque nunc exempla esse ipso hoc voluimus testimonio confirmare nostraeque voluntatis declaratione in partes venire communis laetitiae, qua Academiae omnes felicia Salanae novi seculi auspicia congratulantur.

---

[1]) Maxime id probant verba illa: „*hactenus absentem ita prosecutus es, ut ex Tuo me Ducatu, non Animô, dimissum, praeclaris constet indiciis, silentiô, non eloquiô, mihi venerandis.*“ Silentium puto qua solebat esse cautione tribuebat senatui Vratislaviensi, ne eum videretur diversae spei memoria repetita immodeste fatigare.

[2]) In eadem dedicatione ab initio sic ait: *Academia, quae Salam omnemque Thuringiam nobilitat, benignissimi Numinis, etiam Tuâ, Literarum Patrone summe, Providentia Munificentiâque floret, mihi studiis severioribus humaniora miscenti septimum in annum Magistra fuit exoptatissima.* Fatendum vero olim eum tredecim annorum puerum de nostra Francofurtana Academia cogitasse; anno enim 1646 d. 10. m. Septb. in diario testatur cum patre Francofurtum se profectum Depositionis, ut vocant, Examini se subiecisse Rectore Matthaeo Coldebachio I. U. D. Codicis Iustinianei P. P. et Collegii Iuridici Seniore; ac re vera in matricula nostra nomen eius illo anno inscriptum extat; postea ut et ipse et pater consilium mutaret, factum esse suspiceris Frantzkii amicitia, qui iam in fratrem eius maiorem Iohannem beneficia multa contulerat.



ORDO THEOLOGORUM CATHOLICORUM.

IOANNES BAPTISTA BALTZER, Dr. P. P. O. h. t. Dec. Publice I. *De magisterio in ecclesia christiana catholica infallibili* disseret dieb. Merc. et Sat. h. III. II. In seminario regio theol. cathol. *exercitationes dogmaticas cum interpretatione librorum St. Augustini de civitate Dei coniunctas* moderari perget d. Mart. h. III. et IV. Privatim III. *Introductionis in universam theologiam partem primam* tradet dieb. Lun. Mart. Merc. h. XII. IV. *Theologiae dogmaticae christianae catholicae partem primam i. e. doctrinam de Deo uno et trino eiusque proprietatibus* explicabit dieb. Iov. Ven. Sat. h. XII.

IOANNES FRANCISCUS POHL, Dr. P. P. O. Publice I. *De theologia pastorali* disputabit dieb. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. IX. Privatim II. *De arte catechetica* disseret de Lun. et Iov. h. IV. d. Sat. h. IX.

IOSEPHUS HENRICUS FRIEDLIEB, Dr. P. P. O. Publice I. *De vita Salvatoris* disputabit d. Ven. et Sat. h. X. II. In seminario regio theol. cathol. sodalium *exercitationes in N. T.* moderabitur d. Iov. h. V. Privatim III. *Introductionem generalem et specialem in Nov. Test.* dabit d. Lun. Mart. Merc. h. V. IV. *Evangelium et epistolas St. Ioannis* explicabit dieb. Lun. Mart. Merc. Iov. h. X.

FRANCISCUS ANTONIUS BITTNER, Dr. P. P. O. Publice I. *S. S. concilii Tridentini capita dogmatica* interpretabitur dieb. Lun. Mart. Merc. h. XI. Privatim II. *Catholicam theologiae moralis partem specialem* tradet dieb. Iov. Ven. Sat. h. XI.

CAROLUS FRIDERICUS STERN, P. P. O. des. Publice I. *Archaeologiae biblicae partem alteram* tradet dieb. Lun. Merc. Ven. h. VII. II. In seminario regio theol. cathol. *exercitia in Vetus Testamentum exegetica* moderabitur d. Sat. h. X. et XI. Privatim III. *Psalmos* interpretabitur dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. VIII.

IOSEPHUS HUBERTUS REINKENS, Dr. P. P. O. Publice I. *S. Thomae Aquinatis doctrinam de Deo uno et trino* exponet d. Merc. et Sat. h. VIII. II. In seminario regio theol. cathol. *exercitationes ad historiam ecclesiasticam pertinentes* moderabitur d. Sat. h. IX. et X. Privatim III. *Historiae ecclesiasticae partem alteram* tradet dieb. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. IX. IV. *Antiquitates ecclesiae christianae* enarrabit dieb. Lun. Iov. Ven. h. III.

IOANNES ANTONIUS SOFFNER, Theol. Lic. Privatim *doctrinam christianam de Deo redemptore* tradet dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. v.

PAULUS FRANCISCUS SCHOLZ, Theol. Lic. Gratis *doctrinam sacram Veteris Testamenti* tradet dieb. Mart. et Merc. h. iv.

ORDO THEOLOGORUM EVANGELICORUM.

AUGUSTUS HAHN, Dr. P. P. O. h. t. Dec. Publice I. In seminario regio theol. *exercitationes ad historiam ecclesiasticam pertinentes* moderabitur d. Sat. h. viii. Privatim II. *De dogmatibus relig. chr. eorumque historia* disputabit ratione habita compendii: „*Lehrbuch des christlichen Glaubens*“ ed. 2. dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. viii.

HENRICUS MIDDELDORPF, Dr. P. P. O. Si pro valetudinis infirmae ratione fieri poterit, Publice I. In seminario regio theol. *exercitationes exegetico criticas in Vet. Testam.* moderabitur d. Merc. h. xi. Privatim II. *Psalmos* interpretabitur dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. xi.

GUILELMUS BOEHMER, Dr. P. P. O. Publice I. *Exercitationes ad interpretationem Novi Instrumenti pertinentes* in seminario regio theol. reget d. Ven. h. xii. II. *Systema antiquitatum christianarum et ecclesiasticarum ratione habita* libri sui: „*Die christlich-kirchliche Alterthumswissenschaft*,“ Vratislav. Voll. II. editi, proponet d. Merc. et Sat. h. xii. Privatim III. *Dogmaticen christianam tanquam systema fidei christianae ratione habita* libri sui: „*Die christliche Dogmatik oder Glaubenswissenschaft*,“ Vratisl. voll. II. foras emissi docebit dieb. Lun. Mart. Iov. h. xii.

CAROLUS SEMISCH, Dr. P. P. O. Publice I. *Historiam ecclesiasticam inde a saec. decimo septimo medio* tradet dieb. Merc. Iov. Sat. h. ix. II. In seminario regio theol. *exercitationes in dogmatum historia versantes* moderabitur d. Mart. h. iii. Privatim III. *Historiae ecclesiasticae partem alteram* enarrabit quotidie h. viii. et d. Mart. h. ix.

CAROLUS FRIDERICUS GAUPP, Dr. P. P. O. Publice I. *Exercitationibus homileticis et catecheticis* in seminario regio practico praeesse perget d. Merc. et Sat. h. viii. et xii. Privatim II. *Theologiae practicae partem secundam* (*homileticen, theologiam pastoralem et catecheticen*) tradet dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. Sat. h. xi. III. *Evangelium Lucae totum eiusdemque auctoris librum, qui acta apostolorum inscribitur, quoad fieri poterit*, interpretabitur dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. xii.

IULIUS FERDINANDUS RAEBIGER, Dr. P. P. E. Publice I. *Amosi vaticinia* interpretabitur d. Merc. et Sat. h. xii. Privatim II. *Iesaiae vaticinia* interpretabitur quinquies per hebd. h. xi. III. *Epistolam ad Romanos* interpretabitur dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. x.

EDUARDUS MEUSS, Theol. Lic. P. P. E. Publice I. *Exercitationes homileticas* in seminario theol. practico moderari perget d. Merc. h. III. II. *Historiam passionis et resurrectionis Iesu Christi e quatuor evangeliis concinnatam* explicabit d. Lun. et Iov. h. III. Privatim III. *Theologiam dogmaticam* tradet sexies per hebd. h. VIII. IV. *Epistolam ad Hebraeos datam* interpretabitur dieb. Lun. Mart. Ven. h. IX.

FRIDERICUS GUILELMUS SCHULTZ, Dr. Phil. Theol. Lic. P. P. E. des. Publice I. *Vaticinia V. T. Messiana* interpretabitur d. Sat. h. X. et XI. Privatim II. *Theologiam V. T. biblicam* docebit quinquies per hebd. h. X. III. *Psalmos* interpretabitur quinquies per hebd. h. XI.

GEORGIUS LUDOVICUS HAHN, Dr. Philos. Theol. Lic. P. P. E. des. Publice I. *Doctrinam Pauli Apostoli* exponet d. Sat. h. VIII. Privatim II. *Encyclopaediam theologicam* docebit dieb. Lun. Merc. Ven. h. IX. III. *Dogmatum historiam* enarrabit quinis dieb. h. X. IV. *Evangelium Ioannis* interpretabitur dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. XII.

ORDO IURECONSULTORUM.

ERNESTUS THEODORUS GAUPP, Dr. P. P. O. h. t. Dec. Publice I. *Ius commercii, nauticum et cambiale atque hoc quidem ita, ut nova constitutio cambialis Germanica a. 1848 explicetur,* docebit d. Mart. h. IV. et V. Privatim II. *Encyclopaediam et methodologiam iuris universi,* ad schedulam suam: „*Grundriss der juristischen Encyclopaedie und Methodologie*“ inscriptam tradet quotidie praeter diem Iov. h. X. III. *Ius Germanicum privatum iuris civilis Borussici, quatenus ex iure Germanico emanaverit, habita continua ratione,* docebit quotidie praeter diem Iov. h. XII. IV. *Ius civile Borussicum* tradet quotidie excepto die Iov. h. XI.

PHILIPPUS EDUARDUS HUSCHKE, Dr. P. P. O. Publice I. *Ordinem iudiciorum privatorum, quo usi sunt Romani,* exponet dieb. Lun. Merc. Ven. h. XII. Privatim II. *Historiam et institutiones iuris civilis* tradet quotidie h. VIII. et IX.

IULIUS FRIDERICUS HENRICUS ABEGG, Dr. P. P. O. Publice I. *De concursu creditorum secundum praecepta iuris communis et Borussici* disseret d. Ven. et Sat. h. X. II. *Ius criminale secundum codicem poenalem Borussicum, nec non processum civilem communem et Borusicum* repetet d. Iov. h. XI. Privatim III. *Ordinem iudiciorum publicorum iure communi et Borussico receptum* secundum libri sui: „*Lehrbuch des Criminalprocesses*“ inscripti ed. alt. exponet quaternis diebus h. X. IV. *Ius naturae, quod vocant, sive philosophiam iuris praemissa huius disciplinae historia* tradet quotidie, exc. d. Sat. h. III.

LUDOVICUS GITZLER, Dr. P. P. O. Publice I. *Processum consistorialem* tradet d. Sat. h. II. II. *Ius matrimoniorum secundum praecepta iuris canonici* docebit d. Ven. h. II.

Privatim III. *Ius canonicum cum iure ecclesiastico Catholicorum et Evangelicorum* docebit dieb. Lun. Mart. Merc. Iov. h. XI. IV. *Pandectas iuris civilis excepto iure hereditario* tradet quotidie h. VIII. et IX.

HERMANNUS SCHULZE, Dr. P. P. O. des. Publice I. *Principia iuris publici universalis* explicabit d. Lun. et Mart. h. VIII. II. *De fontibus iuris Germanici* disseret d. Sat. h. VIII. et IX. Privatim II. *Historiam imperii et iuris Germanici* tradet quinquies per hebd. h. VIII. III. *Ius publicum Germanicum* docebit quinquies per hebd. h. IX.

IOANNES THEODORUS SCHIRMER, Dr. P. P. E. des. Publice I. *Digestorum titulum „De donationibus inter virum et uxorem“* (24. 1.) interpretabitur dieb. Lun. et Iov. h. IV. post merid. Privatim II. *Ius hereditarium* exponet quotidie excepto d. Sat. h. XI.

GEORGIUS FRIDERICUS FELIX EBERTY, Dr. Gratis *selecta quaedam capita iuris publici et privati in regno Britannico valentis* binis per hebd. hor. exponet h. XI.

ORDO MEDICORUM.

IOANNES CAROLUS LEOPOLDUS BARKOW, Dr. P. P. O. h. t. Dec. Publice I. *Historiam foetus* exponet d. Sat. h. VIII. Privatim II. *Anatomen corporis humani universam* tradet sexies per hebd. h. XI. III. *Exercitationes anatomico-practicas* moderabitur senis dieb. h. IX. X. II. III.

TRAUGOTTUS GUILELMUS GUSTAVUS BENEDICT, Dr. P. P. O. Publice I. *Examinatorium et repetitorium circa singula chirurgiae capita* continuabit quaternis dieb. h. def. Privatim II. *Chirurgiam specialem et doctrinam de operationibus chirurgicis* exponet senis dieb. h. def. III. *Ophthalmiatricen* docebit quaternis dieb. h. def.

IULIUS GUILELMUS BETSCHLER, Dr. P. P. O. Publice I. *Operationes obstetricias* docebit bis per hebd. h. IV. Privatim II. *Artem obstetriciam* tradet quotidie h. VII. mat. III. *Clinicum et Policlinicum gynaecologicum* moderabitur quotidie h. VIII.

FRIDERICUS THEODORUS FRERICHS, Dr. P. P. O. Publice I. *Selecta capita pathologiae specialis* tractabit bis per hebd. h. XII. Privatim II. *Pathologiam et therapiam specialem* docebit quinquies per hebd. h. XII. III. *Clinicen medicam adiunctis exercitationibus policlinicis* moderabitur sexies per hebd. h. X½—XII.

ALBERTUS THEODORUS MIDDELDORPF, Dr. P. P. O. Publice I. *De morbis cutis humanae* disseret d. Sat. h. III. p. m. Privatim II. *Chirurgiam et doctrinam de operationibus, fasciis et instrumentis chirurgicis* exponet quinquies per hebd. h. III. p. m. III. *Clinicen et policlinicen chirurgico-ophthalmologicam* moderabitur sexies per hebd. h. IX. a. m.

HUGO ERNESTUS HENRICUS RUEHLE, Dr. P. P. E. des. Publice I. *Artem formulas medicas concinnandi* docebit d. Sat. h. IV. Privatim II. *Universam materiam me-*

dicam docebit quinquies per hebd. h. v. III. *De auscultatione et percussione* disseret dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. IV.

IOANNES IOSEPHUS SEIDEL, Dr. Gratis I. *Medicamina e regno animali oriunda* exponet bis per hebd. h. XI. Privatim II. *De medicamentis nostro tempore in usum vocatis* disseret quater per hebd. h. XI. III. *Fontes medicatos Germaniae* exponet quater per hebd. h. III.

CAROLUS GUILELMUS KLOSE, Dr. Gratis I. *Helcologiam* docebit semel per hebd. h. IV. Privatim II. *Medicinam legalem* docebit ter per hebd. h. IV.

IOANNES AUGUSTUS BURCHARD, Dr. Gratis I. *De diagnosi obstetricia* disseret dieb. Merc. et Sat. h. VI. vesp. II. *Historiam foetus* exponet dieb. Merc. et Sat. h. V. Privatim III. *De morbis mulierum* disseret quater per hebd. h. IV. Privatissime IV. *Examinatorium de arte obstetricia et exercitationes in phantomate* instituet bis per hebd. h. def.

HENRICUS NEUMANN, Dr. Gratis I. *Doctrinam de cognoscendis et curandis animi morbis* tradet d. Lun. et Iov. h. III. Privatim II. *Psychologiam forensem* docebit dieb. Lun. Mart. Iov. h. IV.

THEOBALDUS BASILIUS PAULUS REYMANN, Dr. Gratis I. *Morbos syphiliticos* tractabit d. Lun. et Iov. h. V. Privatim II. *Therapiam generalem* docebit quater per hebd. h. V.

GUILELMUS HENRICUS CAROLUS GROSSER, Dr. Privatim *osteologiam et syndesmologiam* docebit d. Lun. et Merc. h. I.

ARMINIUS RUDOLPHUS AUBERT, Dr. Gratis *selecta capita physiologiae* tractabit d. Merc. h. III.

ARMINIUS IULIUS PAUL, Dr. Gratis I. *De morbis ossium* disseret d. Mart. h. IV. Privatim II. *Medicinam forensem* docebit dieb. Lun. Merc. Ven. h. IV. Privatissime III. *Exercitationes infantes aegrotos curandi practicas* moderabitur dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. V.

BERNHARDUS COHN, Dr. Gratis I. *Selecta capita e pathologia generali sumta* tractabit d. Mart. h. IV. Privatim II. *Diagnosin morborum internorum simul cum demonstrationibus* docebit dieb. Lun. Iov. Ven. h. IV. III. *Exercitationes therapeuticas* instituet d. Merc. et Sat. h. def.

RICHARDUS FOERSTER, Dr. Privatim I. *Ophthalmologiam* tradet dieb. Mart. Iov. Ven. h. II. Privatissime II. *Exercitationes practicas operationum, quae in oculo instituuntur*, moderabitur d. Merc. et Sat. h. II.

GEORGIUS LEWALD, Dr. Gratis I. *De venenis e regno minerali oriundis et de eorum antidotis* disseret d. Iov. h. V. Privatim II. *Repetitorium circa materiam medicam cum demonstrationibus pharmacologicis* instituet d. Merc. et Sat. h. V.

ORDO PHILOSOPHORUM.

CAROLUS IACOBUS LOEWIG, Dr. P. P. O. h. t. Dec. Publice I. *De chemia analytica quantitativa* disseret d. Iov. h. XI. II. *Metallurgiam* docebit d. Merc. et Ven. h. XI. Privatim III. *Chemiam, quam vocant anorganicam experimentis illustratam* docebit senis dieb. h. VIII. Privatissime IV. *In laboratorio chemico operam* daturis aderit dieb. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. IX.—XI. et h. II.—V.

GEORGIUS HENRICUS BERNSTEIN, Dr. P. P. O. Publice I. *Kirschii Chrestomathiam Syriacam* a semet denuo editam explicare perget d. Lun. et Iov. h. XII. II. *Hamâsae carmina* interpretabitur d. Mart. et Ven. h. XII.

PETRUS IOSEPHUS ELVENICH, Dr. P. P. O. Publice I. *Exercitationes dialecticas de rebus ad philosophiam pertinentibus* moderabitur dieb. Merc. et Iov. h. X. Privatim II. *Historiam philosophiae recentioris inde a Cartesio* enarrabit dieb. Lun. Mart. Merc. Iov. h. V.

CHRISTOPHILUS IULIUS BRANISS, Dr. P. P. O. Publice I. *Isagogen in philosophiam speculativam* exhibebit d. Lun. et Merc. h. V. Privatim II. *Psychologiam et Logicam* docebit dieb. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. IV.

HENRICUS ROBERTUS GOEPPERT, Dr. P. P. O. Publice I. *De plantis cryptogamicis demonstrationibus microscopicis adhibitis* disseret d. Merc. et Sat. h. XII. Privatim II. *Anatomen et Physiologiam plantarum demonstrationibus microscopicis illustratam* exhibebit d. Merc. h. XI., d. Merc. et Sat. h. IV. III. *De flora phanerogamica Germaniae* disseret d. Merc. et Sat. h. III.

EDUARDUS GRUBE, Dr. P. P. O. Publice I. *De avibus Silesiae* disseret d. Lun. et Iov. h. X. Privatim II. *Historiam naturalem Echinodermatum* exponet d. Mart. et Ven. h. X. III. *Zoologiam medicinalem* docebit d. Ven. h. IV. Privatissime IV. *Exercitationes in animalibus cognoscendis et distinguendis* instituet d. Lun. et Iov. h. II.

ADOLPHUS FRIDERICUS STENZLER, Dr. P. P. O. Privatissime et gratis I. *Exercitationes Sanscritas* continuabit d. Mart. et Ven. h. IV. Publice II. *Linguam Persicam* docere perget d. Lun. et Iov. h. IV. Privatim III. *Grammaticam comparatam linguarum Indogermanicarum* tradet dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. III.

HENRICUS FRIDERICUS HAASE, Dr. P. P. O. Publice I. *Seminarii regii philologici exercitationes* reget d. Merc. h. IX. d. Sat. h. IX. et X. Privatim II. *Antiquitatum Graecarum partem priorem* enarrabit quotidie h. VIII. III. *Praefatus de Thucydidis vita et ingenio librum eius III.* explicabit dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. IX.

IOANNES LUDOVICUS TELLKAMPF, Dr. P. P. O. Publice I. *De aere alieno publico, quod civitates contrahere solent* disseret d. Sat. h. XII. Privatim II. *Rerum publicarum administrationem (Staatswirthschaft) et doctrinam de reditibus et sumptibus publicis*

(*Finanzwissenschaft*) docebit quotidie h. x. III. *Statisticen, quam vocant, praecipuarum civitatum* tradet quotidie h. xi.

MAURITIUS LUDOVICUS FRANKENHEIM, Dr. P. P. O. Privatissime et gratis I. *Exercitationes physicas* moderabitur d. Sat. h. xi. et xii. Publice II. *Mechanicam* docebit d. Mart. et Ven. h. xii. Privatim III. *Physicam universam* exponet et *experimentis* illustrabit quotidie h. v.

FERDINANDUS IOACHIMSTHAL, Dr. P. P. O. Publice I. *Exercitationes mathematicas* moderabitur bis per hebd. h. def. Privatim II. *De superficiebus secundi gradus* disseret d. Merc. et Sat. h. x. III. *Calculum differentialem et elementa calculi integralis* docebit dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. xi.

RICHARDUS ROEPELL, Dr. P. P. O. Publice I. *Exercitationes seminarii historici* moderari perget h. def. Privatim II. *Historiam recentiorem inde a pace westphalica usque ad Francogallorum revolutionem* (1648—1789) tradet quinquies per hebd. h. v.

FERDINANDUS ROEMER, Dr. P. P. O. Privatissime et gratis I. *Exercitationes mineralogicas et geognosticas* instituet d. Merc. h. xi. et xii. Publice II. *Historiam naturalem fossilium metallicorum* exponet d. Sat. h. ix. et x. Privatim III. *Geognosiam* docebit quinquies per hebd. h. ix.

GUILELMUS IUNKMANN, Dr. P. P. O. des. Privatissime et gratis I. *Disputationes de historia aevi recentioris* moderabitur semel per hebd. Publice II. *Historiam coloniarum inde a saeculo XV.* enarrabit bis per hebd. h. v. Privatim III. *Historiam aevi recentioris inde a saeculo XVI.* tradet quater per hebd. h. v.

IOANNES GODOFREDUS GALLE, Dr. P. P. O. Privatissime et gratis I. *Methodum minimorum quadratorum* explicabit d. Iov. h. x. Publice II. *Quadraturas mechanicas* docebit d. Mart. et Ven. h. x. Privatim III. *Astronomiam theoricam* tradet dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. ix.

AUGUSTUS ROSSBACH, Dr. P. P. O. des. Publice I. *Seminarii regii philologici exercitationibus* praeerit d. Merc. et Sat. h. xii. Privatim II. *Artem metricam et res scenicas Graecorum et Romanorum* tradet quotidie h. xi. III. *Catulli carmina* interpretabitur dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. xii.

AUGUSTUS KAHLERT, Dr. P. P. E. Per hiemem lectiones non habebit.

AUGUSTUS SCHMOELDERS, Dr. P. P. E. des. Publice I. *Institutiones Arabicas* continuabit dieb. Lun. Merc. Sat. h. x. II. *Grammaticam linguae Sanscritae* docebit d. Mart. et Ven. h. x. Privatim III. *Encyclopaediam et Archaeologiam litterarum Arabicarum* enarrabit dieb. Lun. Mart. Merc. Iov. h. xi.

ADOLPHUS DUFLOS, Dr. P. P. E. des. Publice I. *Repetitorium pharmaceutico-chemicum* instituet d. Sat. h. ix. II. *Chemiae analyticae elementa* docebit d. Lun. et Iov. h. ix. Privatim III. *Chemiam pharmaceuticam* docebit sexies per hebd. h. vii. mat. IV. *Pharmacognosiam* tradet bis per hebd. h. ix.

HENRICUS RUECKERT, Dr. P. P. E. des. Publice I. *Historiam poëseos sacrae Germanorum ab antiquissimis usque ad nostra tempora* tradet d. Lun. et Iov. h. II. Privatim II. *Grammaticam linguae Germanicae* docebit dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. III. Privatissime III. *Carmen epicum Anglosaxonicum Beóvulf inscriptum* interpretabitur bis per hebd. h. def.

RUDOLPHUS WESTPHAL, Dr. P. P. E. des. Publice I. *Exercitationes philologicas* moderabitur bis per hebd. h. def. II. *Platonis Timaeum* explicabit ter per hebd. h. def. Privatim III. *Historiae litterarum Graecarum partem alteram quae est de dramaticis poëtis et de prosae orationis scriptoribus* tradet sexies vel septies per hebd. h. def.

GUSTAVUS GUILELMUS KOERBER, Dr. Privatim I. *Lichenologiam* tradet *demonstrationibusque microscopicis et plantarum distributione* illustrabit ter per hebd. h. def. II. *Summam universae historiae naturalis* explicabit ternis per hebd. dieb. h. IV.

PAULUS EDUARDUS CAUER, Dr. Privatim *historiam Graecorum* docebit dieb. Merc. Ven. Sat. h. III.

GUSTAVUS FRIDERICUS GUILELMUS SUCKOW, Dr. per hiemem lectiones non habebit.

EDUARDUS MAXIMILIANUS ROBERTUS GROEGER, Dr. Gratis I. *De saeculo decimo nono quod attinet ad philosophiam, religionem, artes, rempublicam* disseret d. Lun. h. v. Privatim II. *Philosophiam Fichtianam* exponet d. Merc. et Sat. h. v.

FERDINANDUS IULIUS COHN, Dr. P. Privatim I. *Exercitationes in usu microscopi analyticas et diagnosticas* moderaturus est horis binis d. Sat. II. *Historiam evolutionis plantarum* exponet *adiunctis exercitationibus microscopicis* quater per hebd. h. VI. vesp.

CAROLUS IULIUS BERGIUS, Dr. Privatim *oeconomiam politicam* docebit dieb. Lun. Merc. Iov. Sat. h. XI.

IMMANUEL OGINSKI, Dr. Gratis I. *Artem oratoriam sive doctrinam de officiis perficiendis* dobebit d. Lun. et Mart. h. XII. II. *De Schillero ut philosopho* disputabit d. Sat. h. XII. Privatim III. *Philosophiae historiam ab initio usque ad philosophorum scholas a Iustiniano dimissas* tradet dieb. Merc. Iov. Ven. h. XII.

EDUARDUS MAGNUS, Dr. Gratis I. *Grammaticam linguae Arabicae* docebit ter per hebd. h. XII. II. *Grammaticam linguae Samaritanae secundum Uhlemanni institutiones Samaritanas* (Lips. 1837) explicabit bis per hebd. h. XI. III. *Maimonidis librum: „More Nebochim" Arabico sermone conscriptum* illustrare perget semel per hebd. h. def. Privatim IV. *Grammaticam linguae Hebraicae* tradet quater per hebd. h. III.

IACOBUS BERNAYS, Dr. Gratis *orationes e Salustianis historiis excerptas* enarrabit d. Merc. h. VI.

FRIDERICUS HERMANNUS BERTHOLDUS RUMPELT, Dr. Gratis I. *Litterarum Theotiscarum historiam* enarrabit d. Merc. et Sat. h. v. Privatim II. *Grammaticae Germanicae partem priorem (linguam Gothicam atque theotiscam)* tractabit d. Lun. et Iov. h. VI. vesp.

ARMINIUS MARBACH, Dr. Gratis I. *De hydrostatica et hydrodynamica* disseret bis per hebd. h. def. Privatim II. *Physicen* docebit et *experimentis* illustrabit quotidie h. XII.

FRIDERICUS GUILELMUS PFEIFFER, Dr. Privatissime et gratis I. *Exercitationes Germanicas* instituet. Gratis II. *Grammaticam Theotiscam saec. XIII.* docebit et interpretabitur *carmen Hartmanni Iwein* dieb. Lun. Mart. Iov. Sat. h. II. III. *Historiam litterarum Germanicarum saec. XVII. et XVIII.* tradet d. Merc. et Sat. h. V.

EDUARDUS COLMARUS GRUENHAGEN, Dr. Gratis I. *Vitam Friderici magni Borussorum regis* enarrabit bis per hebd. h. def. Privatim II. *Historiam imperii Germanici medii aevi* enarrabit bis per hebd. h. def.

HENRICUS EDUARDUS SCHROETER, Dr. Privatim I. *Mechanicen elementarem ad theoriam praecipue machinarum adplicatam* docebit dieb. Mart. Iov. Ven. h. X. II. *Theoriam functionum ellipticarum* exponet dieb. Lun. Merc. Iov. Sat. h. XI.

MAXIMILIANUS THEODORUS KAROW, Dr. Gratis I. *Monumenta linguarum Romanensium veteriora* interpretabitur bis per hebd. h. def. II. *Dantis carmen „Divina commedia" inscriptum* interpretari perget bis per hebd. h. def. Privatim III. *Historiam litterarum gentium Romanensium brevi conspectu comparativo* comprehensam enarrabit quater per hebd. h. def.

CAROLUS SCHERNER, Dr. Privatim *animi substantiae naturam atque vitam e statu perscrutationis speculativae* demonstrabit bis per hebd. h. def.


IOANNES THEODORUS MOSEWIUS, Dr. Gratis I. *Rationem cantus ecclesiastici evangelicorum* explicabit et *exemplis* illustrabit bis per hebd. II. *Artem vocis humanae ad cantum formandae* docebit bis per hebd. III. *Tetraphonice cantandi exercitationes* instituet bis per hebd.

EXPEDITUS BAUMGART, Dr. Gratis I. *Artem harmonicam* tradere perget bis per hebd. II. *Organi pulsandi artem* docebit bis per hebd.

LECTORES LINGUARUM.

CHRISTOPHILUS HENRICUS NEUMANN, Dr. Gratis I. *Samuelis libros grammatice* explicabit ter per hebd. h. def. Privatim II. *Grammaticam hebraicam exemplis e Vetere Testamento petitis* docebit ter per hebd. h. def.

AUGUSTUS THEODORUS PEUCKER, Dr. Gratis I. *Grammaticam linguae graecae vulgaris* docebit d. Merc. et Sat. h. III. Privatim II. *Carmina popularia Graecorum recentiorum selecta* interpretabitur d. Lun. et Iov. h. IV.



ARMINIUS EDMUNDUS OTTOMARUS BEHNSCH, Dr. Gratis I. *Shakespearii Macbethum* interpretabitur d. Mart. et Ven. h. III. Privatim II. *Linguae Anglicae elementa grammatica* tradet d. Mart. et Ven. h. II. III. *Exercitationes Anglice et scribendi et loquendi* instituet d. Mart. et Ven. h. IV.

ALEXANDER MAROCHETTI, Lect. Gratis I. *Exercitatiores commilitones in explicandis difficilioribus scriptis poetarum Italicorum* adiuvabit d. Mart. et Ven. h. II. Privatim II. *Italice scribendi et loquendi exercitationes* instituet d. Merc. et Sat. h. II. Privatissime III. *Grammaticam Italicam* explicabit d. Lun. et Iov. h. II.

IOANNES NICOLAUS FRITZ, Lect. Gratis I. *Linguae Polonicae grammaticam* docebit atque *exercitationes voce et litteris vertendi* instituet duce libello suo, in quo linguae Polonicae elementa traduntur, bis per hebd. II. *Cum exercitatioribus commilitonibus librum aliquem Polonicum posthac indicandum* leget et interpretabitur semel per hebd. h. def.

CAROLUS FRANCISCUS LUDOVICUS DAN. FREYMOND, Lect. Gratis I. *Fabulam Victoris Hugonis quam inscripsit Hernani*, atque *nonnulla carmina lyricorum recentioris aetatis* interpretabitur bis per hebd. h. def. Privatim II. *Grammaticam linguae francogallicae* tractabit et *exercitationes* instituet et *scribendi et loquendi* bis per hebd. h. def.

VINCENTIUS KRAIŃSKI, Dr. Lector hon. Gratis I. *Linguam Polonicam triplici discentium ordine instituto* docebit sexies per hebd. II. *Litterarum Polonicarum historiam* enarrabit quater per hebd. III. *Eloquentiam sacram Polonice* tractabit bis per hebd.

Artem vel graphide delineandi vel penicillo imitandi docebit *Siegert*, taxidermiam *Dr. Rotermund*, artem equitandi *Preusse*, batuendi *Loebeling*, saltandi *de Kronhelm*.

Bibliothecae Academicae lecturis apertae patebunt diebus Lun. Merc. Iov. Sat. hor. II. et III., libros petituris et reddituris dieb. Mart. Merc. Ven. Sat. hor. XI. Leges indicat scheda in coenaculo studiis dicato proposita. Bibliotheca Studiosorum propria cum Museo patebit dieb. Mart. Merc. Ven. Sat. h. II—V. Ex reliquis tribus urbis bibliothecis Rehdigerana cum Burgiana ad aedem S. Elisabethae consociata patebit dieb. Merc. et Sat. ab hora II. ad IV.; ea autem, quae est ad aedem S. Bernardi, singulis diebus Iovis eisdem horis; de tertia, quae ad aedem S. Mariae Magdalenae servatur, conveniendus singulis diebus Saturni ab hora X. ad XII. bibliothecarius est, qui est gymnasii M. Magdalenensis rector.

Collectiones rerum et instrumentorum ad physicam, astronomiam, anatomen, physiologiam, zoologiam pertinentium, laboratorium chemicum, artis et antiquitatum Museum et pinacotheca inspiciendi venia suo loco et tempore impetrata monstrabuntur. Hortus botanicus, diebus Veneris omnibus apertus, commilitonibus aliisque rei herbariae studiosis etiam reliquis per aestatem diebus, exceptis dominicis, tessera ab horti directore impetrata patebit. Hortulano eius semel per hebdomadem certum plantarum numerum ad condendum vendere commilitonibus licet.